

candi Evangelicam legem, et præcepto servandi Sacramentorum sanctitatem, atque hanc sartam tectam custodiendi ab omni sacrilega profanatione, statim intelliges, non idem de Confessario ac de Christianis reliquis ferendum esse iudicium circa obligationem corrigendi. Potest sane tuto omitti fraterna correctio, si prudenter inutilis existimetur. At in Sacramenti hujus administratione omitti non potest, quin Confessarius doctoris muneri desit; quin curam necessariam negligat penitentis, cui illa necessaria est admonitio, ut rite ad Sacramentum disponatur; et quin injuriam Sacramento irrogat, exponendo ipsum periculo sacrilegæ profanationis... Atque hinc liquet, dici non posse inutilem admonitionem illam; nam etsi otiosa quoad emendationem crederetur, tamen utilis esset ad tollendum gratiæ obicem in suscipiente Sacramentum, et ad impediendum sacrilegium, ut etiam Lacroixius anotaverat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Vult hic R. Theologus, contra ibi a me traditam conclusionem, esse monendum penitentem laborantem ignorantia invincibili. Ast tamen ultra ibi adducta, celeberrimus Pontas verb. *Confessarius*, casu 5, id expresse tenet cum sacris Canonibus, et Auctoribus ibi adductis, et doctissimus Paulus Gabriel Antoine Rom. edit. tract. de penit., quest. 7, resp. 2, sic expresse habet: « Si error, vel ignorantia sit inculpabilis, et invincibilis... Si tamen probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale penitentis, vel grave scandalum et damnum innocentibus, puta liberis, differenda est monitio, donec hoc periculum sit ablatum, et petenda dispensatio; » ex c. 6, de consanguinit. et affinit. ubi Innocent. III. consultus de matrimonio invalide contracto, respondet: « Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, quum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere. Nam quum Dei offensa per ignorantiam invincibilem vitetur, illud materiale malum recte permittitur ad impedienda graviora mala. » Hæc ille, qui certe est probabiliorista. Et idem tract. de virtutibus Theologicis qu. 2, jam tradiderat, quod corripiendus est, qui mala agit ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani quando fructus speratur. Quid pro mea opinione evidentius? Et eruditiss. P. Cajetanus M. a Bergamo Cappuccinus « nell' Uomo Apostolico istruito nella sua vocazione al Confessionario italico idioma impresso cap. 4, n. 15, sic ad rem tradit: « Si veda la lettera Decretale del Sommo Pontefice Innocenzo III, in rescritto all' Arcivescovo Rossense, registrata nel Canone: Quia circa 6, de consanguinit. et affinit. Aveva l'Arcivescovo riferito al Papa non so qual matrimonio invalidamente contratto per una dispensa, che si era ottenuta con pravità surrettizia nel rappresentarsi una causa falsa per vera; e desiderando egli ancor di sapere, come dovesse comportarsi nel

fatto, mentre per una parte si conosceva il matrimonio esser nullo, è per l'altra si persuadeva potere dalla separazione seguirne scandalo, così il Papa rispose: « Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, quum ex separatione grave videas scandalum imminere. » Questa prudenza è conforme alle intenzioni di S. Chiesa dirette a Dio, permettendosi il peccato materiale per evitare il formale, ed in simili continenze può il Confessore indi trovarsi pentito più d'aver detto, che d'aver taciuto. » Hæc ille ad literam. Quid clarius? Et tamen ipse nequaquam est probabilista, sicuti non sunt alii plures inter quos etiam Sancti Patres id defendentes, ut est eruditiss. compertum. Unde vereor, ne rigidus Theologus noster, de eorum numero sit, de quibus Clemens XI, in sua Constit. ad Catholicos Oland. incip. *Illius vices*, emanat. 7 Aprilis 1703, hæc habet præcisus verbis: « Qui obtinent quidem disciplinæ exactioris speciem, ac de rigidioris Theologiæ sibi fama blandiuntur: » ut refert dictus Cajetan. M. loc. cit., cap. 1, n. 15. Et novissime meam conclusionem tenet clariss. Ubaldo Giraldi cum suo Maschat tom. 2, lib. 4, pag. 458, n. 56, suæ edition. Rom. ann. 1757, quamvis, quod mirum est, ipse ut unus ex Revisoribus, probaverit etiam sibi contrariam opinionem Theologi Romani. Videatur insuper doctiss. D. Alphonsus de Liguori, nell' *Istruzione e pratica per li Confessori*, italico idioma impressa Venetiis 1759, ex Typogr. Remondini, cap. 16, della *Penitenza*, punto 6, num. 108, ubi expresse hæc habet. « All'incontro lo nega la comune, è vera sentenza con Cano, Suarez, Navarro, Soto, Corduba, Sanchez, Lugo, Vasquez, Castrop. Bonac. Anacleto, Roncaglia, Sporer, Viva, ed altri innumerabili; ed in ciò trovo, che convengono due altri molto rigidi Autori, cioè Habert, ed Antoine; parlando Habert del matrimonio nullo per qualche impedimento occulto, dice: « Si adversum malum occultum, et invincibiliter ignotum nullum appareat remedium, et gravia incommoda prævideantur, dissimulandum est (a Confessario) impedimentum, et conjux in bona fide relinquenda. » E parimente Antoine così scrive: « Si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale penitentis, vel grave scandalum, etc., differenda est monitio, et petenda dispensatio; » et n. 109, et seq. adducit rationes, et solvit omnes objectiones.

(87. Absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario Loci nulla declaratur; Benedict. XIV, tom. 1, Constit. 100, incip. *Apostolica*.

(88. Absolutio a Sacerdote impertita personæ complici in peccato turpi, extra casum necessitatis irritatur; Benedictus XIV, tom. 1 Constitut. 20, incip. *Sacramentum Penitentiae*, § 4. (89. Absolutio tamen impertita hujusmodi personæ complici in mortis articulo constitutæ, etiam absque necessitate, aut infamiæ, vel scandali periculo, valida declaratur; Benedictus XIV, tom. 1, Con-

stit. 120, incip. *Apostolici*. (90. Sed Sacerdos ita absolvens incurrit pœnas et censuras summo Pontifici reservatas. Idem *ibid.* Vide superius dicta, et infra verb. *Sacerdos*.

(91. Absolutio Sacerdotis excipientis Confessionem complicit in peccato turpi Summo Pontifici reservatur; Benedictus XIV, tom. 1, Constitut. 20, incip. *Sacramentum Penitentiae*, § 4. (92. Idem absolutio calumniatorum, quoad sollicitationem in Confessione Summo Pontifici reservatur. Item *ibidem* § 3. (93. Item absolutio a censuris incursis ob mercimonia super elemosynis Missarum reservatur Summo Pontifici. Idem, tom. 1, Constitut. 22, incip. *Quanta*, § 5.

(94. Absolutio deneganda est ignorantibus Mysteria Fidei, tenenda necessitate *medii*, Idem tom. 1, Constitut. 42, incip. *Etsi*, § 12.

(95. Ignorantibus autem sua culpa necessaria necessitate *præcepti* est absolutio rejicienda in aliquod tempus. Quandoque tamen potest talis penitens absolvi, si dolens de sua culpabili vincibili ignorantia, serio promittat Confessario, operam se impense daturum, qua divinæ gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate *præcepti*. Idem loco citato.

(96. Absolvendi facultas a casibus reservatis et censuris conceditur Cancellario Militiæ S. Januarii. (97. Idem tom. 1, Constitut. 24, incip. *Romana Ecclesia*, § 3. Eadem facultas tribuitur Confessariis in vim Bullæ Cruciatæ concessæ Militibus S. Joannis Hierosolymitani, ejusque Militiæ subditis. Idem tom. 1, Constit. 76, incip. *Quoniam*, § 8.

(98. Absolvere non potest Abbas, seu Superior Regularis Monachos sibi subjectos a percussione Clerici Sæcularis, ut expresse respondit Sac. Congr. Conc. in Mediolanen. Censurarum 2 Decemb. 1719; ad 3 dub. Vide verb. *Excommunicatio*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(99. Quo jure Sacerdos potestatem absolventi obtineat, in varias Theologi, tum canonistæ discedunt sententias. (100. Sunt qui tenent potestatem hanc Sacerdoti inesse ex jure divino in potentia, sed in actu, et exercitio ipsum eandem consequi a jure Ecclesiastico, quo renitente et impediante, Sacerdos carebit tantummodo actu, sed retinebit potestatem, ita ut Ecclesia vere, et de facto, aliquam jurisdictionem Sacerdoti tribuat.

(101. At alii sentiunt, jurisdictionem in se, actu et potentia consideratam totam pendere a jure divino, ita tamen ut ab Ecclesia solummodo assignatio subditorum dependeat. Quod inde probant, quia ut patet ex Matthæ 16, et Joannis 20, (102. Christus jurisdictionem absolventi, et ligandi integram sine ulla diminutione Sacerdotibus est impertitus, nec usquam legitur quidquam in contrarium tributum Ecclesiæ. (103. Ergo jurisdictio in se, quanta est in Sacerdotibus, tota est a Christo.

(104. Patet hinc, qua ratione Summus Pontifex possit subijci Sacerdoti, ab eodemque in Sacramento penitentiae absolvi; nam ita faciendo se subijcit jurisdictioni, quæ a jure divino est, cui ipse subjacet. (105. Quod

haud ita facile explicatur ab iis, qui sustinent vere aliquam jurisdictionis potestatem tribui ab Ecclesia Sacerdoti, quippe quia pro ea saltem parte videretur Summus Pontifex Sacerdoti se subjicere minime posse, quum sit ipse Caput Ecclesiæ, nullique Ecclesiasticæ jurisdictioni subjiciatur.

(106. Neque posita hac sententia difficile est explicare, quomodo possint Summus Pontifex, aliique majores Prælati graviora peccata reservare. (107. Si enim exiguntur subditi, qui ab Ecclesia conceduntur, potest Superior quædam sibi reservare, quorum iudicium inferioribus non committat.

(108. Quoad ea, quæ concernunt Confessarium quoad ejus approbationem, vide verb. *Approbatio*, ubi diffuse per totum.

ADDITIONES CASINENSES.

(109. Dantur plures casus in quibus probabiliter simplices sacerdotes in mortis articulo, præsentem etiam approbato, valide absolvere possunt. Et primo quidem si approbatus vel nollet vel non posset excipere Confessionem; deinde si approbatus nominatim esset excommunicatus vel suspensus; tertio si approbatus esset alienæ diocesis; demum si penitens nollet peccata confiteri approbato, et periculum adesset sacrilegii. Ita quidem S. Liguori l. 6, n. 563.

(110. Congregatio Concilii Tridentini in decreto 11 Dec. 1683, quum ageretur de multis bona fide confessis apud aliquos, qui errore communi confessarii legitimi credebantur, respondit invalide esse confessos, et si vel hoc resciverint, vel de validitate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri confessionem reiterare. Casum hunc referunt Clericatus. De Penitentia Decis. 31, num. 14, et Lambertini t. 2 Notificationum, Notif. 84, n. 27. Sacra Congregatio vi hujus decreti nihil detrahit probabilitati opinionis, quæ tenet pietatem Ecclesiæ, in tali casu, jurisdictionem tribuere. Sed nobis certum videtur Ecclesiam non supplere jurisdictionem in dubio etiam probabili, cum desit jurisdictione. Vid. Ballerini *Praelectio* 2, c. 1, n. 6, 9, in Sum. S. Antonin.

(111. Ubi non desperatur fructus a monitione omittenda est etiam de re aliena restituenda, si penitens sit in bona fide. Hanc sententiam communem contra paucos, qui Concinam sequuntur, egregie defendit S. Liguori, De penitentia l. 6, num. 614.

(112. Cum Confessarius non solum doctoris, verum etiam medici officium gerit, hinc a penitente quærere debet quæ ad ejus sanitatem judicat expedire; et non tam ea, quæ subindicat penitens, quam etiam ea de quibus is, sive ex ignorantia, sive ex verecundia, sive alia demum de causa tacet. De hoc confessarii debito lege, si vacat, penitentiales antiquos, quorum abundantiam habes penes Joann. Morinum ad calcem operis. De penitentia etiam S. Antoninum, SS. Thomam, Raymundum, Bonaventuram, et Sermonem 27. S. Bernardini Senensis, t. 2, pag. 147; ubi quæstionem tractat: An confessor teneatur diligenter perscrutari et examinare conscientiam peccatoris, et res-

pondet affirmative. Qui a necessariis abstinent interrogationibus, ut plures excipiant Confessiones, ii, nostro quidem iudicio, haud bene agunt. Siquidem satius esset paucis eum fructu operam dare, quam plures festinanter, et cum periculo tum proprio tum alieno audire. Neque putandum omnes de omnibus, semperque interrogandos; sed pro conditionibus diversis, et cum quis ignotus aut novus ad confessorem accedat.

(113. Diaconi olim excipiebant exomologesim cæremonialem et conciliabant pœnitentes in foro externo; numquam vero exomologesim sacramentalem et in foro interno. Nec alio in sensu, teste Morino in Recognitione operis sui in pœnitentia, intelligenda sunt facta historica de absolutione a diaconis et laicis data. Relate vero ad Abbatissas idem dicendum est. Iis enim numquam permissum fuit confessiones sacramentales audire. Vide Chardon, *Hist. du Sacrament de la pénit.*

(114. In Tridentino sess. XIV, cap. VII, invalida declaratur absolutio quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem: hoc est irrita et nullius est momenti absolutio sacerdotis, qui jurisdictione ecclesiastica, non qui divina, caret. Porro si jurisdictio penderet a jure divino (uti A., Nov. Add. n. 103, docet) etiam quoad ejus exercitium, quomodo a Romanis Pontificibus iis auferri posset? Nonne Benedictus XIV, in Constit. cujus initium: *Sacramentum pœnitentiæ* Confessario ademit facultatem omnem absolvendi complicem in peccato turpi? Potestas ergo jurisdictionis a dominio in subditos pendet; subditi autem per Episcopum assignantur; et per consequens potestatis exercitium immediate ab Episcopo habetur. Potestas quidem a Deo immediate habetur, minime vero ejusdem exercitium. Addatur et illud, sententiam quam hic vult adstruere præfatus A. communi Theologorum sententiæ contrariam esse.

ARTICULUS II.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

De facultate regularium absolvendi sæculares a censuris et casibus apostolicæ sedis reservatis.

(1. Cum verb. *Absolvere, Absolutio*, art. 1, num. 44 et seqq., tom. 1 hujus Bibliothecæ, col. 56, relata non fuerint Decreta Sacræ Congregationis, de quibus referendis Typographum monueramus, nostræque Additiones ad eosdem numeros omissæ præterea fuerint, quæstionem de facultate Regularium absolvendi Sæculares a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis hic retractare cogimur.

(2. Natalis Alexander Theologiæ Dogmaticæ et Moralis lib. II, De Sacramento Pœnitentiæ, art. X, hanc num. XXVII, regulam statuit: « Confessarii Regulares ab Episcopo approbati, absolvere non possunt a Casibus Summo Pontifici, aut ipsi Episcopo reservatis, nisi specialem ab ipsis acceperint potestatem: nullaque illis Privilegia quoad hoc suffragantur: » « Hanc enim illis potestatem jam dudum ademit Clemens V, in Concilio Viennensi (Clement. *Dudum*, tit. de sepulturis), declarans, se Regularibus ad Pœnitenti-

tiæ Sacramentum administrandum deputatis potestatem non impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est a Jure concessa. Et alibi (Clement. *Religioso*, tit. de Privilegiis, et Privilegiatorum excessibus) Regularibus vetat sub interminatione maledictionis æternæ, « ne in casibus Sedi apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere præsumant. » Summi etiam Pontifices Clemens VIII, Paulus V, Urbanus VIII, et Innocentius X, (vide apud Barbosam p. 3 de offic. et potest. Episc., allegat. 3.) declararunt: Absolutionem a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis illicitam esse Regularibus pariter, et Sæcularibus Sacerdotibus, nulla illis ad hoc suffragari privilegia: absolutiones, si quas ab his casibus sine speciali facultate concesserint, nullas, et irritas esse: ab his absolventes, « Excommunicationis, privationis officiorum, et dignitatum, aut Beneficiorum, inhabilitatis item audiendi Confessiones, et ad quæcumque officia, Prælaturas, Beneficia in posterum obtinenda, pœnas ipso facto absque ulla alia declaratione, incursum; super quibus a nemine, nisi a Romano Pontifice habilitatio, dispensatio, aut absolutio possit impertiri. » Alexander VII has propositiones damnavit. « Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, » non obtenta ad id Episcoporum facultate. Et « Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. »

(3. Verum a Clemente V. Regularibus adeptam facultatem absolvendi a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis, qua ex Romanorum Pontificum privilegiis potiebantur, falsum est. Neque hoc ex Clementina *Dudum* lib. III Clementinar. tit. VII, de sepulturis cap. II, vel ex Clementina *Religiosi* lib. V, tit. VII, De privilegiis et excessibus privilegiatorum cap. 1, constat, ut Natalis Alexander arbitratur. Etenim cap. *Dudum* de casibus Ordinariis locorum, non S. Sedi reservatis Clemens V loquitur, ubi se non intendere ampliorem concessione sua facultatem Religiosis taliter deputatis, quam Curatis, et Sacerdotibus Parochialibus impendere profitetur. Sic enim habet: « Si... iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusarent: nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, et eisdem pœnitentias imponere salutes, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiose concedimus, de plenitudine Apostolicæ potestatis. Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel parochialibus Sacerdotibus est a Jure concessa: nisi forsitan eis Ecclesiarum prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. » Itaque Glossa ad verb. *Concessa* inquit: « Hoc intendit quod in casibus Episcopis

reservatis non possunt absolvere. » Et ad verb. *Prælati*: « Episcopi et Superiores: unde videmus, quod hodie aliquibus ex illis concedunt casus reservatos. »

(4. Caput autem *Religiosi* excommunicationis Apostolicæ Sedi reservatæ sententiam ipso facto incurram fert in Religiosos qui excommunicatos a canone, præterquam in casibus a Jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis iisdem, absolvere præsumperint. « Religiosis, ait, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniarie solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos a canone, præterquam in casibus Jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis iisdem, vel a sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) a pœna et culpa absolvere quemquam præsumperint, excommunicationis incurram sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante. » Ex quibus perspicue efficitur, Privilegia a casibus quibusdam Apostolicæ Sedi reservatis absolvendi Religiosis a Rom. Pontificibus concessa, a Clemente V adempta iisdem non fuisse, sed rata omnino habita. Quare Glossa ad verbum *Concessis*: « Habent, inquit, multi Religiosi privilegium ab Apostolica Sede super absolutionibus diversorum casuum. »

(5. Neque ex Decretis Sacræ Congregationis, ad quæ Natalis Alexander provocat, efficitur generatim ubique collata Regularibus absolvendi a censuris, et casibus Apostolicæ Sedi reservatis privilegia, fuisse sublata, ut ex eorumdem Decretorum lectione liquet. Nam Decretum primum Clementis VIII auctoritate editum est hujusmodi: « Decretum super absolutione a casibus reservatis. (6. Sacra congregatio S. R. E. Card. negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, justis, et gravibus causis id exigentibus, ac de SS. D. N. Clementis Papæ VIII speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam sæcularibus quam regularibus per universam Italiam, extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas probatis quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Jesu, et generaliter quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet, et præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indulgentiarum, et facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel societatibus, aut Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singularibus personis, seu alias quomodocumque sub quibusvis tenoribus, formis, et

cæusulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cujusvis status, gradus, et conditionis, aut dignitatis tam ecclesiasticæ quam sæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab ullo ex casibus clare, vel dubie, in Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, ejusque Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam a casibus quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova, et speciali Sanctitatis Suae, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum quoad casus ab ipsis tantum reservatos, respective impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat: sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosque Judices suos accedere consulat, sub pœna contrafacientibus tam regularibus, excommunicationis, privationis officiorum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi Confessiones, et ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione, incurram, super quibus a nemine, nisi a Romano Pontifice, habilitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impertiri, Sanctitas enim Sua, quatenus opus sit, facultates, et concessionem ipsas in hac parte uti cassas, et irritas haberi de certo voluit, et vult, non obstantibus quibuscumque.

« Præterea noverint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris et momenti. Et ne locorum Ordinarii, quibus Jus hoc reservandorum casuum competit, plurium, quam opus sit, reservatione subditis aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis Diocesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 9 mensis Januarii 1601.

« Alex. Card. Florent.

« Hieronymus Agucchius Secretarius. »

(7. Alterum quod inscribitur, *Declaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis*, sic habet:

« Editum fuit alias a Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, Decretum super absolutione a casibus reservatis ejus, qui sequitur, tenoris: Sacra Congregatio, etc., justis et gravibus causis, etc., sub datum Romæ 9 Januar. 1601, ut supra. Cum autem dubia quædam, ac difficultates circa ejusdem Decreti interpretationem